

ex parte conversionis, sed etiam ex parte averfionis. *Tum etiam*: Nam datur in conversione ad Deum inæqualitas intensiva ratione maioris, & minoris affectus: cur ergo propter eandem rationem non poterit dari in averfione à Deo? *Tum denique*: Quia non obstante, quod peccatum habituale consistat in privatione gratiæ, & per quodlibet peccatum auferatur tota gratia in *essentia*, in cuius privatione potissimè relucet averfio à Deo, adhuc peccata habitualia sunt inæqualia, iuxta dicta disp. præced. num. 153. ergo concedenda est inæqualitas in peccatis adhuc ex parte averfionis.

Refellitur etiam eadem evasio, ex qua parte negat inæqualitatem in pœna damni, adhuc supposita inæqualitate in peccato ex parte averfionis. *Tum* quia non est credibile, quod non possit taxari à divina omnipotentia, & iustitia pœna inæqualis perse primò debita averfioni, cum hæc sit finis; sed pœna damni est perse primò debita averfioni, & etiam est finita: ergo si conceditur inæqualitas in peccatis ex parte averfionis, etiam concedenda est in pœna damni secundum id, quod perse primò dicit. *Tum etiam*: Nam non obstante, quod peccatum habituale consistat in privatione gratiæ, & quodlibet peccatum privet tota gratia quoad entitatem, adhuc assignatur caput, ex quo peccata habitualia sunt inæqualia: item, non obstante quod offensæ passivæ peccati mortalis sit privatio in *facto esse* rationis ultimi finis in Deo, adhuc assignatur caput, ex quo datur inæqualitas in offensis passivis peccatorum: ergo potiori titulo debet dari caput, ex quo datur inæqualitas in pœna damni. Patet consequentia: nam offensæ est simpliciter infinita, & pœna damni finita. Solum superest assignare caput, unde desumatur inæqualitas in pœna damni, quod §. sequenti præstare curabimus via argumenti.

§. III.

Argumenta contra secundam assertionem:

55 **A** dversus secundam, & præcipuam assertionem sentiunt Durand. 4. dist. 22. quæst. 1. Palud. quæst. 1. conc. 2. Vazquez disp. 100. cap. 5. quem sequuntur Granad. Salas, Azor, & alij ex Societate, necnon Ferre loco supra citato. Et arguitur primò ex D. Thom. tum supra quæst. 73. art. 2. ubi docet, privationem totalem seu in *facto esse* non suscipere *magis*, & *minus*; sed pœna damni est privatio totalis & in *facto esse*, cum totam visionem auferat quodlibet peccatum mortale: ergo non potest esse inæqualis. *Tum etiam* 3. part. quæst. 71. art. 3. ad 1. ubi docet, carentiam visionis non suscipere *magis*, & *minus*; ergo nequit esse inæqualis.

Ad hoc argument. & primū in testimonium

D. Thom. respondetur distinguendo maiorem, non suscipere *magis*, & *minus* extensive, concedo maiorem; intensivè, nego maiorem. Et distincta minori eodem modo, negari debet consequentia. Nam licet privatio visionis beate ex parte formæ, qua privat, non suscipiat *magis*, & *minus*, quo pacto tantum significat augmentum extensivum, de quo tantum est sermo D. Thom. potest tamen suscipere *magis*, & *minus* quoad intensivum. Ad quod non requiritur, quod prædicta carentia plus auferat in uno, quam in altero, sed sufficit, quod ex connotatione plurium, & graviorum peccatorum *magis* vni inhæreat, & radicetur in eo: ad modum quo scientia circa eandem conclusionem potest *magis* radicari, & augeri intensivè. Vel sufficit, quod per plura, & graviora peccata maiora impedimenta ponantur ad videndum Deum, ex quibus resultat maior elongatio & distantia à visione beatifica: ad modum quo qualibet carentia est privatio vñus in *facto esse*; & tamen maior censetur, qua maius impedimentum habet, iuxta id quod docet Div. Thom. 2. dist. 42. quæst. 2. art. 5. his verbis: *Magis cæcus dicitur, cui ex toto erutus est oculus, quam qui ex aliquo humore ad pupillam occurrente visum amittit, quamvis uterque cæcus sit.* ¶ Per quod constat ad secundum testimonium. Cui addi potest, D. Thom. loqui ibi de carentia visionis beatificæ, prout reperitur in pueris cum solo originali decedentibus, in quibus carentia visionis ex omni capite est æqualis tam ex parte formæ, qua privat, quam ex parte causæ, cum habeat eandem causam in omnibus, nempe peccatum actuale Adami, in quod omnes pueri æqualem influxum præsterunt, ut ex se liquet.

56 Arguitur secundò: Quia nullum est caput, ex quo desumi possit inæqualitas sive intensiva, sive extensiva in pœna damni: ergo est æqualis in omnibus damnatis. Ancedens probatur: nam si aliquid esset, maximè graviora peccata ad que dicit ordinem: in privatione enim in *facto esse*, qualis est carentia visionis beatificæ nihil relinquens formæ oppositæ, non est assignabile aliud caput; sed hoc est insufficiente: nam non potest dici *magis* mortuus, qui plura vulnera lethalia suscepit, quam qui vnum: ergo similiter dicendum est de carentia visionis beatificæ.

Nec prodest recursus ad maiorem distantiam ab ipsa visione ex pluribus impedimentis derivatam. Siquidem qui per viginti vulnera mortalia mortuus est, non *magis* distat à vita, quam qui per vnum. *Et similiter* (inquit Div. Thom. supra quæst. 73. art. 2. in corp.) *non est magis tenebrosa domus, si lucerna sit operata pluribus velaminibus, quam si sit operata uno solo velamine totum lumen intercludente.*

Pro-

Propter hoc docet Ferre loco supra citato, tam pœnam damni, quam averfiones peccatorum esse secundum se indivisibiles, & in omnibus æquales. Docet tamen num. 929. §. *Ad secundam obiectionem*, quod si averfiones considerentur in radice, sic suscipiunt *magis*, & *minus* ex maiori, vel minori gravitate peccatorum, ex quibus inferuntur. Et quia pœna damni correspondet illis non tantum, prout considerantur secundum se, sed etiam prout illatis ex peccatis, hinc fit, quod pœna damni suscipiat *magis*, & *minus*.

57 Sed quarto à prælaudato Magistro: Pœna damni in se & intrinsecè vel crescit per connotationem ad graviora peccata, vel non crescit? Si dicat primum: ergo secundum se non est indivisibilis: sicut nec pœna sensus indivisibilis est, eò quod intrinsecè crescit, & est debita gravioribus peccatis. Si dicat secundum: ergo falsum est, quod pœna damni suscipiat *magis*, & *minus* adhuc ex sibi adiunctis peccatis. Probatur consequentia: nam in tantum susciperet *magis*, & *minus*, iuxta modum dicendi huius Magistri, in quantum connotans graviora peccata est obiectivè causativa maioris doloris, nisi in se augeatur: sicut nec dolor causatus ex pœna sensus potest crescere (seclusa deceptione, vel falsa apprehensione) nisi crescat in se intrinsecè obiectum prædicti doloris, quod est malum positivum: ergo pœna damni non crescit præcisè ex connotatione ad graviora peccata, si alias indivisibilis est. *Adde*: Nam obiectum prædicti doloris nec sunt peccata, cum damnati sint obstinati in ipsis peccatis: neque est Deus, prout ex maiori odio punit damnatum carentia visionis, dummodò reipsa non inferat maius malum in se, ex quo caput dolorem: ergo debet esse ipsa pœna damni in se, & intensivè maior.

58 Respondetur ad argumentum, quod licet privatio visionis beatificæ sit in *facto esse*, potest tamen in se, & intrinsecè suscipere *magis*, & *minus* per connotationem ad leviora, vel graviora peccata, sicut in privatione gratiæ contingit. Sæpe enim accidit, quod privatio sit in se maior per appositionem plurium impedimentorum ad formam oppositam, propter quæ subiectum distat *magis* à forma. Exilium enim, quamvis sit privatio in *facto esse* habitationis in civitate, nulli dubium est, quod manet in se & intrinsecè *magis* privatum, qui ex sententia Iudicis *magis* elongatur ab ipsa civitate. Idemque apparet in cæco, iuxta doctrinam D. Thom. num. 55. Ex quibus constat, privationes prædictas non solum posse crescere intensivè, sed etiam extensivè, non quia plus auferatur entitatis formæ, sed quia per appositionem maioris impedimenti subiectum manet *magis* inhabilitatum ad formam.

Neque illa duo exempla mortis, & lucis

aliquid evincunt contra prædictam doctrinam. Non primum: quia carentia vitæ potius commensuratur cum forma cadaverica, quam cum causis illius; ab his enim proximius dependet forma cadaverica, quam privatio vitæ; & cum forma cadaverica non fit maior, aut minor per connotationem ad graviora, vel leviora causas, hinc fit, quod privatio vitæ non debet suscipere *magis*, & *minus* per connotationem ad plura, vel pauciora vulnera. At causa privationis gloriæ immediata sunt peccata, ideoque per connotationem ad illa potest suscipere *magis*, & *minus*. Pariformiter discurrendum est de privatione lucis, hæc enim æque tollitur per absentiam lucis, ac per appositionem alicuius impedimenti, & propterea impedimenta non conducunt ad maiorem, vel minorem privationem lucis. Pœna autem damni totaliter pendet à peccatis, & non solum ex forma, qua privat, & ita ex gravioribus resultat maior privatio tam intrinsecè, quam extensivè.

DUBIUM VI.

Quo pacto Dæmones torquantur ab igne corporeo?

59 **C**ertum est apud omnes, dæmones, & animas separatas torquenti ab igne corporeo, ut passim docet sacra pagina. Matth. 25. dicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo, & Angelis eius*, nempe ad cruciandum. Ex Luc. 16. *Crucietur in hac flamma*. Quibus accedunt innumera testimonia SS. PP. quæ perlegi possunt in Expositoribus D. Thom. Et quamvis non desint, qui prædicta testimonia, & alia similia interpretantur de igne metapharico; id tamen tanquam erroneum in fide rejiciunt communiter Scholastici. Unde si interdum Patres id videntur negare, aut dubitare, interpretandi sunt (non rejicere) de effectu, quem causat in substantia spiritali, qui spiritalis est, aut ex eo quod duraturus est in æternum absque pabulo adinstar rei spiritalis.

Quocirca tota concertatio inter Scholasticos sita est in modo, quo ignis corporeus potest spiritum torquere: nonnulli existimantibus nihil certò circa hoc posse determinari, & tantum fatentibus cum D. August. 21. de Civit. Dei cap. 10. *Miris, veris tamen modis posse in corporeo spiritus pœna corporalis ignis affligi, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam*. Nihilominus Theologi communiter determinant prædictam pœnam sensus. Sed in ea assignanda in varias opiniones divisi sunt. *Primo* docet, huiusmodi pœnam consistere in calore ignis in spiritu recepto; quidquid sit de alijs cruciatibus. Hæc solet tribui Henrico quodlibet 8. quæst. 34. *Secunda* asserit, in receptione alicu-

alicuius speciei intelligibilis representantis ipsum ignem, seu in ipsa ignis intellectione ab ipso immediate causata in anima, seu demonis intellectu. Pro hac referunt Scotus in 4. dist. 44. quæst. 2. Agid. Richard. Gabriel, & alij. Tertia censet, spiritum torqueri ab igne causante in illo tristitiam, similem ei quam anima nostra coniuncta patitur, quando corpus comburitur. Ita Scotus in 4. dist. 50. art. 3. cui suffragantur aliqui Recentiores. Quarta defendit, imprimi quandam qualitatem defecandam, & deformantem ipsam substantiam spiritus, eo modo quo gratia habitualis per oppositum nitorem, & pulchritudinem ei præstat. Ita Suarez lib. 8. de Ang. cap. 14. Quinta, & ultima (misis alijs minoris momenti) nullam aliam pœnam agnoscit præter alligationem. Ita communiter discipuli D. Thom. quos referunt, & sequuntur NN. Salm. in hoc tract. disp. 18. num. 22. Ferre, Serra, Gonet, & Dominicus de Marinis.

§. I.

Thomistarum sententia.

60 **D**icendum est primò, spiritus torqueri ab igne per hoc, quòd tanquam instrumentum divinæ virtutis sibi alligat eos, itaut tanquam in carcere detineantur suavit, ex quo liberari non possint, neque suas actiones valeant exercere, ubi, & quomodò voluerint. Ita perpetuò D. Thom. præsertim quæst. de Anima art. 21. ubi hanc conclusionem latè probat, & inquit: *Ignis ille, in quantum virtute divina detinet animam alligatam, agit in animam ut instrumentum divinæ iustitiæ. Idem docet quæst. 26. de Verit. art. 1. his verbis: Ignis ille corporeus, agens ut instrumentum divinæ iustitiæ, facit aliquid supra virtutem naturæ, scilicet animam detinere, vel alligare.*

Hæc conclusio etiam est valde consona pluribus locis sacre scripturæ. Nam in epistola canonica Iudæ Apoll. dicitur: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine servavit.* Et 2. Petri 2. habetur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et Apocal. 20. inquit: *Apprehendit draconem, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit.* Quæ loca difficile verificari valerent, nisi spiritus alligationem & incarcerationem paterentur; & iuxta tritam regulam Anguliani verba sacre scripturæ in sensu proprio accipienda sunt, dum ex tali sensu nullum sequitur absurdum; quod in præsentî non sequi tum ex dicendis, tum ex solutione argumentorum plane consabit.

Et probatur ratione: Nam hæc demonum

alligatio physica ab igne tanquam ab instrumento Dei est possibilis, etque valde afflictiva illorum: ergo spiritus defacto hanc pœnam patiuntur. Consequentia (præterquamquòd conceditur ferè ab omnibus Authoribus relatis numer. anteced. & statuentibus alias pœnas, quasi prædicta pœna non sit sufficiens) liquet ex eo: quia omnes supponunt, pœnam sensus, quæ spiritus torquentur, excedere quod nos invelligare valeamus, neque ex hoc capite aliqua opinio rejicitur, sed quia vel diminutè procedit, vel aliquid impossibile adstruit. Antecedens quoad primam partem probatur: tum quia demones inferiores ligantur multoties à superioribus locis, & corporibus, & detinentur ab illis, ne inde se moveant; ergo potiori titulo spiritus possunt alligari virtute divina. Tum etiam: nam nulla datur implicatio in eo, quòd res corporea assumatur à Deo tanquam instrumentum ad producendum aliquem effectum spirituales in spiritu, ut nunc supponimus: ergo hæc demonum alligatio physica ab igne tanquam ab instrumento Dei est possibilis.

Quoad secundam partem probatur idem antecedens: nam hæc alligatio est in ordine ad locum, detinendo spiritum, ne recedat à tali loco, qui est veluti carcer, qui tantò est gravior, quantò strictior. Est etiam in ordine ad potentias, operativas impediendo, ne operentur, ubi vult, & prout vult: sed eo ipso est maxime afflictiva, cum opponatur naturali illius inclinationi abolvendæ se pro suo libito ab omni corpore, & operandi cum ampla indifferentia, & iuxta modum activitatis suæ; iuxta id quòd docet Div. Thom. in Addit. quæst. 70. art. 3. ubi ait: *Hoc superadditur igni corporeo, in quantum est instrumentum divinæ iustitiæ vindicantis, quòd sic detinet spiritum, & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propria voluntatis, ne scilicet possit operari, ubi vult, & secundum quòd vult.* Ergo hæc alligatio nequit non esse afflictiva spiritus.

61 Sed inquires primò: an hæc alligatio importet aliquam formam, vel modum realem? ¶ Respondetur affirmative. Nam ignis verè & physice agit ut instrumentum Dei in spiritu; sed omnis actio maxime transiens aliquid producit: ergo necesse est, quòd producat aliquam formam, vel modum realem, à quo formaliter proveniat prædicta alligatio. ¶ Ex quo colligitur primò, quòd præta alligatio non est præcisè ipsa detentio passiva in loco, nulla interveniente forma. Nam omnis effectus formalis intrinsecus realis debet provenire ab aliqua forma intrinseca, & reali; sed prædicta alligatio est effectus realis ignis, & intrinsecus spiritui, alias non torqueretur ab eo: ergo importat aliquam formam intrinsecam. ¶ Colligitur secundò, non esse ipsam actionem per modum passionis: si-

qui-

quidem omnis actio prædicamentalis simul cum passione cum ea quasi identificata producit terminum ab eis realiter distinctum: ergo non consistit in ipsa actione, & passione prædicamentali. ¶ Colligitur tertio, hæc alligationem non esse ad modum, quo demones inferiores à superioribus alligantur à nullis, aut imaginibus. Nam hæc alligatio non est physica, sed moralis, scilicet ex imperio superiorum, quibus inferiores ex propria electione, eorumque obedientiæ se tradiderunt; nec aliter fieri potest, quia vnus spiritus nequit virtute propria agere in alium, ut tradidimus tract. de Angelis.

62 Inquires secundò: ad quod prædicamentum pertineat forma, cuius effectus formalis est alligare, seu spiritum alligatum esse? ¶ Respondetur esse de genere qualitatis, pertineatque ad primam speciem illius. Nam forma efficiens malè subiectum pertinet directè ad prædicamentum qualitatis, primamque speciem illius, sed prædicta forma est huiusmodi: ergo pertinet ad prædicamentum qualitatis, & ad primam speciem illius. ¶ Et confirmatur, Nam prædicta forma non pertinet ad prædicamentum substantiæ, cum adveniat ei constitutæ in actu existentis: neque ad prædicamentum quantitatis, cum debeat esse spiritualis, ut potè recepta in subiecto spirituali, & propter eandem rationem nequit esse situs, & habitus: neque ad prædicamentum quando, quia hoc prædicamentum, sicut nec duratio ex qua resultat, nulli est nocivum nisi supposito forma disconvenienti, cuius est duratio: neque ad prædicamentum actionis, aut passionis, propter nuper dicta: neque ad prædicamentum ubi, quia sola præsentia localis circumscriptiva fundata in quantitate pertinet ad hoc prædicamentum; & ubicatio supponit subiectionem, & depressionem spiritus ab igne. Manet ergo, quòd pertinet ad prædicamentum qualitatis, ad primamque illius speciem.

63 Inquires tertio: an prædicta qualitas non solum recipiatur in potentia, sed etiam in substantia immediate? ¶ Hoc quæsitum supponit, prædictam qualitatem recipi immediate in potentia. Et merito: quia daemon cruciatur per hoc, quòd obligetur ad operandum, quod non vellet operari, & comprimatur, ne operetur quidquid vellet operari: ergo opus est, quòd prædicta qualitas alligans recipiatur in potentia. ¶ Hinc fit primò, quòd intellectus est subiectum immediatum illius. Quantum verò pœnæ ex hoc capite demoni adveniat, solus noverit ille, qui ut causa principalis illum cruciat. Vide nihilominus elegantem picturam huius tormenti apud NN. Salmant. loco suprâ relato num. 66. & 67. ¶ Fit secundò, potentiam executionem affici etiam hac qualitate. Cuius cruciatum egregie describit prædicti PP. ibidem num. 68. Aliter est discurrendum de voluntate, quæ non est capax prædictæ qualitatis allig-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

torquentur ab igne corporeo? ¶ Iuxta alligantis, sicut non est capax violentis, iuxta alibi dicta. Et licet in cessatione ab omni actu aliquid pateretur: neque fieret per aliquam formam alligantem, sed per solam denegationem concursus: neque esset adeo gravis pœna, qualis est, quòd multa appetentes non possint adimplere suam voluntatem. Unde solum remanet dubium circa substantiam.

Ad quod respondendum est contra Ferre, & Gonet affirmative. Et probatur ratione: Nam totum id, quòd magis conducit ad torquendum spiritum, concedendum est, dummodò sit possibile; sed substantiam affici immediate prædicta qualitate est possibile, & aliàs conducit ad acerbius torquendum spiritum: ergo defacto recipitur immediate in eius substantia. Minor quoad secundam partem constat: nam non potest negari, quòd pœna tantò est gravior, quantò arctius restringitur & deprimitur subiectum, & eius partes. Quoad primam verò ostenditur: nam non repugnat aliquid accidens, quòd non ordinetur ad operari, recipi immediate in substantia, in qua ratione duratio Angelis recipitur immediate in ea; sed alligatio spiritus non tantum est ut operetur ubi non vult, & ut non operetur ubi vult, sed etiam est in ordine ad locum, ne recedat ab illo, cuius detentio in illo non potest esse formaliter per operationem, utpote passiva: ergo non repugnat talem qualitatem recipi immediate in substantia. Videantur, quæ diximus tract. de Angel. disp. 1. dub. 5. ubi solute manet obiectiones, quæ contra hoc opponunt nobis nonnulli Thomistæ oppositum sentientes.

§. II.

Maior explanatio sententiæ Thomisticæ.

64 **D**icendum est secundò, nullum aliud tormentum assignari posse, quòd ad pœnam sensus pertineat. Et probatur resellendo sigillatim modos relatos num. 59. Nam imprimis nequit ignis torquere spiritum per impressionem caloris, ut aiebat Henricus. Tum quia nullum accidens corporeum potest recipi in subiecto purè spirituali. Tum etiam, quia licet spiritus esset capax caloris corporalis, non propter hoc fieret capax alicuius doloris, quia calor intantum causat dolorem in nobis, in quantum destruit proprium temperamentum corporis; sed calor nihil corrumpere potest in spiritu: ergo non est obiectum doloris in spiritu. Per quòd manet impugnatus modus dicenti N. Bachonis, docentis ignem torquere spiritum per calorem spirituales in eo receptum. Tum quia calor apud omnes est determinatè corporeus. Tum etiam, quia non esset corruptivus alicuius perfectionis: ergo nec potest esse obiectum doloris.

R

Psiq

Deinde nequit torquere spiritum, quatenus immittit speciem sui repræsentativam, aut causat immediatè intellectionem apprehendentem ipsum ignem, vt obiectum distonum, & disconveniens, vt asserit secunda opinio. Nam, vt inquit D. Thom. in 4. dist. 44. quat. 3. art. 3. ad 3. quat. non est probabile, quòd anima separata, vel demones, qui magna subtilitate ingenij pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur. Nec est minus inconveniens, quòd Deus non possit torquere spiritum per ignem, nisi decipiendo, aut permitiendo deceptionem. Ergo necesse est, quòd supponatur aliquid, quod verè & in re affligat, & cruciet spiritum. *Maximè*: Quia quantum ad speciem demum habuit ab initio suæ productionis species impressas ab autore naturæ omnium rerum pertinentium ad hoc univèrsam: ergo superflua est productio novæ illius speciei. Et quantum ad intellectionem adhuc evidentiùs constat esse impossibile, quòd docet illa opinio: siquidem intellectio est adæquatè actio vitalis, nequitque procedere à principio extrinseco.

Ex his impugnata manet opinio Scoti, asserentis ignem torquere spiritus, quia efficit in illis tristitiam, quam effecturus est in anima coniuncta corpori. Tum quia demon nequit tritari nisi de obiecto apprehenso, vt sibi nocivus; sed nequit apprehendere ignem vt sibi nocivum, si reipsa nocivus non est: ergo nequit torquere demones per hoc, quòd in eis causat tristitiam. ¶ *Tum etiàm*. Nam tristitia, quæ est in anima coniuncta corpori, vel est propter cruciatum immediatum ipsius animæ, vel est propter cruciatum corporis? Si dicatur primum: ergo supponere debet obiectum, ex quo causetur, aliàs causaretur ex ficta apprehensione. Si dicatur secundum: ergo non habet locum in Angelo, vt ex se constat.

65 Tandem refellitur opinio Suarez, concedentis præter alligationem nuper explicatam aliam qualitatem fœdantem, & deturpantem spiritum. Tum, quia ideo aliquid fœdat aliquid subiectum, quia tollit ab eo aliquid pulchritudinis; sed nulla datur qualitas in spiritu, quæ aliquid pulchritudinis ab eo auferat: ergo non datur in eo prædicta qualitas deformativa, ex qua resultat aliquis dolor. Minor probatur: nam in primis non tollit aliquid pulchritudinis naturalis, iuxta illa quod docet D. Dionis. cap. 4. de divinis Nominib. *Naturalia dona manserunt in Angelis integra*. ¶ *Splendidißima*. Maximè quia pulchritudo naturalis spiritus consistit in substantia, intellectu, & voluntate; ex his autem nihil auferitur in inferno, aliàs tota eius perfectio naturalis tolleretur, cum consistat in indivisibilib: ergo nihil auferitur de pulchritudine naturali. Deinde non tollitur aliquid pulchri-

tudinis supernaturalis: quia hæc provenit à gratia, quæ tantum auferitur per peccatum; ideoque dicitur, peccatum mortale animam maculare: ergo nulla datur qualitas in spiritu, quæ aliquid pulchritudinis auferat.

Roboratur hæc: Quia nulla forma est obiectum doloris, nisi sit disconveniens & nociva subiecto, & nulla forma est disconveniens subiecto, nisi tollat aliquid conveniens, aut impediatur aliquid eius inclinationem; sed qualitas ficta à Suariorum non est disconveniens priori modo, quia nihil à spiritu tollit, vt ipse taretur; nec posteriori modo, quia est proprius effectus qualitatis alligantis: ergo prædicta qualitas non datur ad torquendum spiritum.

§. III.

Argumenta.

66 Arguitur primò ex D. Thom. in 4. dist. 44. quat. 3. artic. 3. quat. hinc. 3. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd ignis non agit in animam per modum influentis, sed per modum detinentis*; sed si ignis esset verum instrumentum physicum Dei productus qualitatem, media qua alligaretur spiritus, non solum concurreret per modum detinentis, sed etiam per modum influentis: ergo ignis non concurrit vt instrumentum Dei ad alligandum spiritum.

Respondetur, sensum D. Thom. non esse, quòd ignis non influat in animas damnatorum, cum absolute concedat in ipsis verbis, quòd agit. Solum ergo intendit, quòd prædictus influxus non est ad alterandum, aut cotrumpendum, sed præcisè ad detinendum.

67 Arguitur secundò: Nam de ratione instrumenti est elevari à causa principali per virtutem in se receptam, & habere aliquam actionem præviam; sed ignis nequit elevari à Deo per aliquam virtutem in se receptam, & exactam ad productionem prædictæ qualitatis alligativæ, nec assignabilis est actio prævia: ergo non alligat spiritum per modum instrumenti physici Dei. Minor quoad primam partem probatur, siquidem virtus elevans ad productionem qualitatis alligantis debet esse spiritualis, cum ordinetur ad producendum effectum spirituale; sed ignis nequit recipere accidens aliquid spirituale, sicut nec spiritus aliquid accidens corporeum: ergo nequit elevari per aliquam virtutem spirituale. Quoad secundam partem etiam ostenditur: nam ignis ex propria natura tantum habet calefactionem; sed spiritus incapax est recipiendi talem actionem: & si versatur circa alia subiecta corporalia, est veluti si non esset in ordine ad spiritum, cum non disponat ad effectum principalem agentis, ac proinde deficiat in principali suo munere, quod est dif-

disponere ad illum: ergo neque habet actionem præviam.

Ad hoc argument. respondetur concedendo maiorem; & negando minorem quoad utramque partem. Ad probationem prioris respondet D. Thom. 3. part. quat. 62. art. 4. ad 1. his verbis: *Virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis, & complete: nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spirituales, in quantum corpus moveri potest ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spirituales inducendum*. Pro qua doctrina culibet sunt in promptu plura exempla. Disparitas autem inter subiectum corporeum per ordinem ad qualitatem spirituales, & inter subiectum spirituale in ordine ad formam corpoream stat in eo, quòd subiectum inferius habet potentiam obedientialem ad hoc vt elevetur à superiori: est tamen contra naturam superioris, quòd dicat obedientiam ad inferius; quod esset tale, si formam corpoream produceret in spiritu, estò aliàs in esse entis esset superioris.

Ad probationem posterioris respondetur primò, non esse de ratione instrumenti, quòd habeat propriam & rigorosam actionem, sed sufficere quòd habeat aliquid simile actioni, vt est in igne aptitudo, vt vniatur spiritui, & hæc aptitudo est sufficiens dispositio, vt ignis agit in spiritu effectum cause principalis. Ita NN. Complutenf. antiqui, in physica disp. 12. num. 63. ¶ Respondetur secundò, non requiri ad rationem instrumenti, quòd ita disponat ad effectum cause principalis, vt talis dispositio recipiatur in passo principali: nam Deus potest agere aliquid effectum ad extra media intellectione, vt instrumentum Dei. Sufficit ergo, quòd habeat actionem, & effectum præviam circa aliud subiectum, vt dicatur, quòd actio principalis agentis evadit modificata.

68 Arguitur tertio: Nam nihil est assignabile, per quòd intellectus v. g. possit alligari ad intelligendum ea, quæ voluntariè non vellet, & ad non intelligendum ea quæ vellet: ergo pena sensus demoni non ex parte faltem intellectus non consistit in descripta alligatione. Antecedens probatur: nam imprimis non aliqua species: tum quia nulla species causatur ab igne, estò quòd Angelus ab initio suæ creationis habet species omnium rerum spectantium ad hoc univèrsam: tum etiàm, quia nulla species ex se determinat intellectum Angeli, vt velit, nolit, cognoscat obiectum per eam repræsentatum, neque determinat ad hoc, vt non possit intelligere obiecta per alias species repræsentata, vt ex se liquet. Deinde non est aliquis habitus, aut dispositio: quia vel impediunt ad intelligenda qualibet obiecta, vel non omnino determinant ad intelligenda peculiariter obiecta, licet inveniunt: nihil aliud est assignabile; ergo.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Confirmatur primò: Nam vna & eadem qualitas non est sufficiens ad præstandos effectus formales adeo diversos, vt est determinare ad intelligendum hoc obiectum potius quam aliud; & impedire, ne alia intelligat: quia effectus adeo diversi, & quasi inter se oppositi exigunt formas valde diversas: ergo.

Confirmatur secundò: Nam prædicta qualitas alligativa est finita & limitata: ergo non est credibile, quòd excedat activitatem Angeli, proindeque potest ab eo vinci, & quasi rumpi.

Ad argument. respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd prædicta alligatio in intellectu fit media aliqua motione intrinseca de genere qualitatis à Deo causata, mediante igne vt instrumento, ad instar motionis causatæ à voluntate per suum usum activum, quo movet intellectum ad intelligendum obiectum liberum. Quæ motio à Deo causata ita ligat intellectum demoni ad intelligendum id, quòd nollit intelligere, vt non sinat intelligere alia, quæ vellet. Nec per hoc superflua est prædeterminatio physica, sicut nec est superflua posita motione voluntatis, ad quam infallibiliter sequitur actus intellectus. Et ratio huius est: quia præter motionem correspondentem cause particulari opus est ad quamlibet operationem creatam motu cause universalis. Et hæc provenit, quòd causa necessaria, estò sint omnino determinatæ ex se, vel ex alio principio ad suas operationes, semper conceditur prædeterminatio physica Dei, vt cause universalis. Ex his constat ad primam confirmationem.

Ad secundam respondetur, quòd non est negabilis intra thesauros omnipotentie aliqua qualitas, quæ & si finita excedat totam activitatem Angeli. Maximè: quia effectus huius virtutis, qui est alligare, non pendet ex eo, quòd fit tanta vel tante virtutis, sed ex eo, quòd est effectus formalis illius inseparabilis à se, sicut vniere est effectus formalis inseparabilis vniionis. Et quandiu conservatur prædicta qualitas, tandiu perseverat alligatio, vt liquet in passere constructo sane, vel filo. Prædicta autem qualitas potest à Deo conservari & ab igne continuo produci contra totam resistantiam, & activitatem demoni, ideoque nequit à tali effectu liberari.

69 Arguitur quarto ab inconvenientibus. Sequitur enim ex nostro modo dicendi primò, quòd pena sensus tam in demoniis, quam in animabus, siue que existunt in purgatorio, siue que morantur in inferno, sit æqualis: quia pena alligationis est omnino eadem: cum consistat in præsentia locali, quæ est indivisibilis, ac proinde æqualis in omnibus. ¶ Sequitur secundò, quòd pena sensus animarum, siue in inferno, siue in purgatorio non possit adæquare, & mul-

cō minus excedere pœnam sensus demōniorum. Tūm quia sicut non adæquant in perfectione eorum naturam, ita non sunt capaces tanta de-
pressionis. Tūm quia non est ita vehemens in-
clinatio animam in ordine ad locum, quā
in ordine ad suas operationes, sicut inclinatio
dæmonis, proindeque non est ita violenta eius
depressio facta per alligationem: hoc autem non
est concedendum, quia plures homines excedent
saltem aliquos dæmones in gravitate peccato-
rum: ergo pœna saltem adæquata sensus non con-
sistit in prædicta alligatione. *Adde:* Nam anima
separata non potest se movere de vno loco ad
alium: ergo ex hac parte pœna illius nequit
adæquare pœnam dæmonis; cum dæmon habeat
potentiam ad se movendum ad quencunque lo-
cum, & contra eius inclinationem detineatur in
illo loco.

Sequitur tertio, quod dæmones, qui sunt
in hoc aëre ad nostrum exercitium, nullam pa-
tiantur pœnam sensus; cum non alligentur ab
igne. Vel alia pœna sensus distincta ab alligatio-
ne concedenda est. Idem colligitur in ijs, qui
permittuntur ex inferno egressi, proindeque hi
aliquod levamen, aut interpolationem in hac
pœna habebunt. ¶ Sequitur quarto, & ultimo,
quod animæ, quæ in limbo existunt, aliquam
propriam pœnam sensus sustineant; cum sint allig-
ate ab illo loco limbi.

Ad hoc argument. respondetur, nullum
ex prædictis inconvenientibus sequi ex nostro
modo dicendi. Non primum, procedens ex
falsa intelligentia Suarezii putantis pœnam sensus
consistere in nuda præsentia ad illum locum,
hanque esse indivisibilem: Siquidem consistit
in præsentia ad ignem, vel alium locum spiritum
violentantem, & sibi subjicientem cum maiori,
vel minori ligamine tum ad ipsum locum, tum
ad operationes, in quo potest esse magis, & mi-
nus, iuxta maiorem, vel minorem libertatem
ad existendum in prædicto loco, & ad operan-
dum. Quocirca ex multiplici capite potest hac
pœna suscipere magis, & minus. Primum ex ma-
iori, vel minori perfectione substantiæ: siqui-
dem idem carcer maioris doloris est causa in
nobilis, quā in plebeio. Secundum ex eo, quod
possunt alligari magis, vel minus tenebrosis, seu
vilibus corporibus, & pluribus, aut pauciori-
bus corporibus, ut si vnus spiritus alligaretur
simul igni, terræ, aquæ, sulphuri &c. & alter
tantum igni. Tertio ex eo, quod eidem carceri
fortiori, vel minus forti vinculo potest spiri-
tus alligari, & constringi, ut contingit in cor-
pore. Quarto ex eo, quod potentia permittun-
tur magis, vel minus operari contra maiorem,
vel minorem spirituum inclinationem. Et tan-
dem ex multis alijs capitibus nobis occultis, quo
pacto accipienda sunt verba Magni Parentis
August. 21. de Civit. Dei, vbi ait: *Miris, ac
infallibilis modis spiritus incorporeus pœna*

corporalis ignis affigi. Ex quibus capitibus fa-
tis intelligi valent loca Scripturæ, quod spiri-
tus transeunt de vno tormento in aliud, nempe
de nimio frigore ad calorem nimium: nam per
hoc intelligitur, quod non continuatur vna &
eadem detentio & alligatio, sed quod transeunt
de vna in aliam. Pariformiter possunt exponi lo-
cutiones PP. dum aiunt, quod aliter cruciantur
superbi, aliter avari, aliter luxuriosi: quæ intelli-
genda sunt de diversitate pœnarum corporalium,
quas corpora à die iudicij patientur, ex quarum
apprehensione etiam animæ nunc cruciantur. Vel
possunt exponi de ipsa alligatione, quatenus ligat
intellectum ad cogitanda illa peccata, propter
quæ spiritus cruciatur, quæ cogitatio causat di-
versum dolorem iuxta diversitatem prædictarum
cogitationum.

Nec secundum sequitur inconveniens. Nam
licet pœna animæ damnatæ ex aliquibus capitibus
non possit adæquare pœnam dæmonis; ex alijs
verò potest illam excedere adhuc in vi alligatio-
nis: vel quia qualitas alligans est intensior, & hac
ratione etiam est strictior: vel quia alligatio ani-
mæ fieri potest à pluribus agentibus, quæ in infi-
nitum possunt crescere: vel propter alias rationes
soli Deo notas. ¶ Ad additament. respondetur,
datò quod anima separata non possit seipsam
movere, superesse adhuc caput vnde crucietur, &
possit magis cruciari, quā dæmon ratione allig-
ationis: & quia ex sua natura non est obligata
alici loco, & habet innatam inclinationem, ut
moveatur de vno loco in alium; & ita, si alligetur
alici loco per quandam necessitatem, nequit non
pati maximam violentiam, ut docet D. Thom.
quæst. de Anim. art. 21. & quia habet non mino-
rem inclinationem ad intelligenda sua obiecta,
quā dæmon; in quo potest magis determinari,
& coarctari, quā dæmon, & ex hoc capite ma-
gis cruciari.

Nec tertium. Nam aliud est, quod dæ-
mones existentes in hoc aëre non alligentur actu
igni tartareo, aliud verò, quod non alligentur
ab ipso igne: primum est verum; secundum au-
tem falsum: quia ignis, utpote instrumentum
Dei, potest agere in distant, & consequenter
alligare dæmones aëri, terræ, vel aquæ ad eò
strictè, sicut sibi. Hincque non minorem pœ-
nam patiuntur, ac si essent igni alligati: quia
vbicumque sint, ligati manent ad operandum,
quod non vellent; & ad non operandum, quod
vellent. Ultimam inconveniens postulat
speciale examen. Ideoque in-
quirimus.

* * *



DUBIUM VII.

*An pueri cum solo originali decedentes punian-
tur pœna sensus: Et an ex pœna damni ali-
quem dolorem sentiant: Et an fruantur
beatitudine naturalis?*

Duplex genus pœnæ correspondet peccato
originali: alterum præsentis vitæ; & al-
terum futuræ. Et licet præcipuus scopus huius
controversiæ sit circa pœnam alterius vitæ pec-
cato originali debitam, operæ pretium duxi
non nihil dicere saltem per modum suppositio-
nis circa pœnas in hac vitæ ex eo contractas, &
aliqua breviter supponere circa pœnas alterius
vitæ.

§. I.

*Suppositiones circa pœnas ex peccato origi-
nali ortas.*

70 **S**upponendum est primo, mortem,
& ærumnas huius vitæ esse pœnam
peccati originalis. Ita communiter Catholici. Et
probat D. Thom. supra quæst. 85. art. 5. his
verbis: *Subtractio iustitiæ originalis habet rati-
onem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ: unde
etiam mors, & omnes defectus consequen-
tes sunt quadam pœna originalis peccati.* ¶ Et
confirmatur: Nam omnis effectus peccati vel
est malum culpæ, vel pœnæ; sed prædicti de-
fectus sunt effectus peccati originalis, iuxta illud
Apost. ad Roman. 5. & per peccatum mors, &
non sunt malum culpæ, cum sint à Deo: ergo
sunt malum pœnæ. Quapropter Div. Thom.
quæst. 5. de Mal. art. 4. ait: *Secundum fidem ca-
tholicam tenendum est, quod mors, & om-
nes huiusmodi defectus præsentis vitæ sunt pœ-
na peccati originalis.* Videatur Trident. sess. 5.
can. 2.

71 Sed obijciunt primo: Pœna debetur præ-
cisè peccato, quia est transgressio divini legis;
sed peccatum originale non est huiusmodi: nam
solutus actus potest esse transgressio divini legis,
& peccatum originale non consistit in actu, ne-
que pueri ante vîam rationis capaces sunt pec-
cati actualis: ergo nulla pœna debetur peccato
originali. ¶ *Secundo.* Mors, & alij defectus na-
turales sunt homini naturales, & convenirent ho-
mini in statu naturæ puræ; sed non rectè dicitur
pœna peccati id, quod est homini naturale: ergo
prædicti defectus non sunt pœna peccati origi-
nalis. ¶ *Tertio.* Nam remisso peccato adæ-
quate, etiam remittit debet pœna ei correspon-
dens; sed per baptismum adæquate remittitur
peccatum originale, & tamen remanent mors, &
alij defectus naturales: ergo signum est, quod
non sunt pœna illius. ¶ *Adde:* Nam pro culpa

æquali æqualis debetur pœna; sed peccatum origi-
nale est æquale in omnibus, locus verò ærumnæ
huius vitæ: ergo idem quod prius.

Ad primam obiectionem respondetur, se-
mel concessò quod peccatum originale est verè
peccatum, non posse negari, quod ei debetur
pœna, sive consistat in actu, sive in habitu: nam
pœna debetur transgressioni, sive actuali, sive
habituali seu terminatiæ, si hæc est verè pec-
catum. ¶ Ad secundam respondetur, conceden-
do maiorem, & distinguendo minorem: si id,
quod est homini naturale, non erat impeditum
per gratiam, concedo minorem; si erat impedi-
tum per gratiam, uti in homine per iustitiam origi-
nalem impediabantur mors, & alij defectus
naturales, nego minorem. Quia sicut subtractio
gratiæ originalis fuit effectus, & pœna peccati
originalis; ita mors, quæ oriebatur ex prædicta
subtractione, potuit esse pœna. ¶ Ad tertiam
respondetur, quod licet per baptismum remit-
tatur omne id, quod habet rationem culpæ, &
hac ratione remittitur homini baptizato pœna ei
persè debita, adhuc remanet locus ad alias pœ-
nas per accidens ex eo illatas, qualis est mors, &
alij defectus naturales, quæ adhuc dimissa cul-
pa manent: eò quod non restituitur iustitia origi-
nalis quoad omnes eius effectus (Deo ita dis-
ponente) sed præcisè quoad minus iustificandi:
ideoque semper manet debitum ad prædictas
pœnas. Sed de hoc iterum redibit sermo in
præfati dñobis. ¶ Per quod patet ad additamen-
tum. Nam licet peccato æquali æqualis debeat
pœna, ex his quæ sunt persè debite; non tamen
est necesse, quod sit æqualis ex ijs, quæ debentur
per accidens, cuiusmodi sunt mors, & alij de-
fectus naturales.

72 Supponendum est secundo, concupiscen-
tiam (alijs terminis solet nuncupari *fomes pec-
cati*) quæ consistit pro formali in privatione sub-
ordinationis ad rationem, esse pœnam peccati
originalis. Hæc suppositio est de fide stabilita
in Trident. sess. 5. can. 5. vbi diffinit, concupis-
centiam in renatis manere ad agonem, non con-
sentientibus non nocere, & à Paulo appellari *pec-
catum*, non quia peccatum sit, sed quia ex pec-
cato est, & ad peccatum inclinatur. Hincque pro-
batur: nam omne id, quod est effectus pec-
cati originalis, vel est malum culpæ, vel ma-
lum pœnæ; sed concupiscentia est effectus pec-
cati originalis, & non est malum culpæ, ut
Concil. diffinit: restat ergo, quod sit malum
pœnæ.

Dices: Concupiscentia non est à Deo: ergo
non habet rationem pœnæ. Probat antecedens:
nam inclinatur ad peccatum, ut docet & statuit
Concil. sed eo ipso non est à Deo, alias Deus
inclinaret ad peccatum: qua ratione moventur
Thomistæ ad asserendum, Deum non esse causam
habitus vitiosi: ergo non est à Deo.

Ut ad hanc obiectionem respondeatur:
Præ-

Prænotabis; concupiscentiam importare pro materiali entitatem potentiarum, & pro formali carentiam iustitiæ originalis, qua compecebantur, ne ordinem rationis transirent. Et hinc oritur, quod potentia hoc frano desinitur inclinatur ad id, quod est contra, vel præter rationem. Porro sicut carentia iustitiæ potest considerari, vel prout est subtractio gratiæ aliâs debita, vel prout est voluntaria aversio animæ à Deo; & in primo sensu habet rationem pœnæ, & in secundo habet rationem culpæ; pariter concupiscentia potest considerari, vel prout nullum dicit ordinem ad voluntatem, sicut appetitus bruti, vel prout ordinem dicit ad illam salutem habitualem. In primo ergo sensu est à Deo, & potest habere rationem pœnæ; secus verò in posteriori ob oppositam rationem, sicut nec habitus vitiosi sunt à Deo. Et licet in statu naturæ puræ daretur totum id, quod ad denominationem concupiscentiæ requiritur; carentia tamen gratiæ tantum esset negatio, essetque ei omnino naturalis, sicut de morte supra dictum est.

73 Supponendum est tertio tanquam certum ex fide, quod pueri decedentes sine baptismo puniuntur pœna æterna damni, quæ consistit in carentia visionis beatificæ. Et ratio est: quia sicut visio beatificæ est effectus gratiæ, ita carentia illius est effectus illius amissionis, eo modo quo vna carentia est effectus alterius, & resultat ex ea; sed pueri decedentes sine baptismo perpetuò carebunt gratia habituali, quia perpetuò erit in eis peccatum originale, consistens in gratiæ carentia: ergo puniuntur perpetua pœna damni. Ex his amandandus venit error cuiusdam Vincentij, qui asserbat, parvulos cum solo originali decedentes, nec pœna sensus, nec pœna damni puniendos esse, sed facili Dei presentia potiturus. Quibus suppositis, tota huius controversiæ lis reducitur ad pœnam sensus alterius vite. Circa quam non est eadem Scholasticorum sententia.

Prima asserit, pueros propter solum originale positiva pœna ignis esse puniendos. Pro qua communiter referuntur Arimin. 2. dist. 30. quæst. 3. & Driedo. lib. 1. de Gratia & lib. arb. tract. 3. cap. 2. Quibus ex parte adhaeret Illust. Godoy in præf. disp. 38. num. 40. ubi pro sua prima conclusione statuit, quod, atenta gravitate peccati originalis sub ratione offensæ Dei, debetur ei utraque pœna damni, & sensus. ¶ Secunda defendit, nulla pœna positiva sensus esse torquendos, esse verò cruciandos positivo aliquo dolore, aut tristitia orta ex perpetua privatione visionis beatæ. Ita Aureol. in 2. dist. 33. art. 2. Bellarm. lib. 6. de Statu peccati cap. 6. quam probabilem iudicant Soto lib. 1. de Nat. & grat. cap. 14. Cariel, & alij Recentiores. ¶ Tertia, & vltima docet, pueros propter originale non esse puniendos aliqua pœna sen-

sus, neque afflictiōem fore aliquo dolore, aut tristitia ex visionis beatæ carentia. Ita communiter Scholasticorum Mag. in 2. dist. 33. D. Thom. ibidem quæst. 2. art. 1. & quæst. 5. de Mal. art. 2. & 3. quem sequuntur omnes eius discipuli, & præcipue NN. Salmant. in præf. disp. 18. dub. 3. Scotus ibid. quæst. vnic. cum tota familia Scraphica. Suarez disp. 9. de Peccato orig. sect. 6. & Vazquez disp. 134. cap. 3. cum alijs eiusdem instituti. Hanc vltimam amplectimur defendendam sequentibus assertio- nibus.

§. II.

Assertio prima negans propriam pœnam sensus.

74 **D**icendum est primò, parvulos cum solo originali decedentes non futuros esse pœnam positivam sensus. Hæc assertio procedit contra primam sententiam nuper relatam. Et missis plurimis testimonijs SS. PP. probatur ratione D. Thom. ex loco citato de Malo deducta, quæ reducitur ad hanc formam: Nam pœna debet esse proportionata culpæ; sed pœna sensus non proportionatur peccato originali: ergo pueri decedentes cum solo originali non puniuntur pœna sensus. Minor probatur: tum quia pœna sensus correspondet culpæ propter delectationem, inxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in delictijs suis, tantum date illi tormentum & iustum*; sed per originale puer nullam habuit delectationem, ut ex se constat: ergo pœna sensus non est proportionata culpæ originali. Tum etiã: nam pœna sensus correspondet peccato propter conversionem, itaut si nulla esset conversio ad bonum commutabile, nulla ei deberetur pœna sensus: ideoque si aversioni correspondet pœna sensus, ut supra diximus, est, quia non est pura aversio, sed aliquid conversionis, vel formalis, vel interpretativæ participat (pro quo videri debent quæ diximus num. 51.) sed in peccato originali non est conversio adhuc interpretativa, cum non sit voluntarium voluntate propria, sed voluntate capitis: ergo idem quod prius.

75 Respondebis, falsum esse, quòd in peccato originali non detur conversio saltem habitualis, siquidem voluntas nequit esse à Deo aversa habitualiter, quin sit conversa ad bonum commutabile. Hincque oritur, quòd concupiscentia, quæ est effectus, immò & substratum peccati originalis, importat conversionem ad bonum delectabile. ¶ Adde, quòd pueri puniuntur propter peccatum Adam, in quo non erat tantum aversio, sed etiam conversio.

Contrà est. Nam pœna non debetur illi conversioni, quæ non est in se formaliter peccati-

Dub. VII. An pueri cum solo originali decedentes puniantur pœna sensus? 135
caminosa; sed conversio habitualis conjuncta cum peccato originali non est peccaminosa formaliter, vel quia non est conversio ad bonum commutabile secundum se peccaminosum, sed ut præcedens ab obiecto honesto, & inhonesto; vel quia tantum potest esse conversio habitualis ad modum habitus vitiosi, in quo non reperitur formaliter vlla malitia, sed tantum causalis: ergo conversioni conjunctæ cum peccato originali non debetur vlla pœna. Id quod dicitur de concupiscentia minus vrget: quia vel hæc coniungitur in baptizato cum conversione habituali ad bonum commutabile, quæ coipsò non est formaliter mala: vel tota malitia reperta in conversione desinitur vnicè ex aversione à Deo tanquam ex forma, quæ constituit peccatum originale.

Additamentum facile dispellitur. Tum quia peccatum Adæ non causavit in parvulo conversionem peccaminosam, aliâs in ea confisteret peccatum illius originale; sed solum puniri debet propter malitiam, quam in se habet: ergo non debet puniri propter conversionem, sed tantum propter aversionem; atqui exelusa conversione solum debetur pœna damni, & nulla pœna sensus: ergo. ¶ Tum etiã, & magis probatio explicatur. Nam peccato, quod non est commissum physicè voluntate propria, sed tantum moraliter, facta ab altero translatione propriæ voluntatis, & aliunde non causat in subiecto conversionem peccaminosam, non debetur pœna correspondens conversioni, quamvis demeritum actuale sit illi voluntarium, & proprium moraliter; sed peccatum actuale Adæ ita fuit proprium posterorum, quòd nec fuit physicè ab eis causatum, nec translatio voluntatis illorum in voluntatem Adæ fuit facta per propriam voluntatem, nec causat in parvulis conversionem malam: ergo nullatenus debetur propria pœna sensus correspondens persè primò conversioni.

76 Probatum secundo ratione eiusdem Ang. Præcept. ad Annibal. dist. 33. q. 2. art. 4. Nam peccato, quod est per voluntatem naturæ, & non per voluntatem personæ, solum debetur pœna, quæ pertinet ad conditionem naturæ, & non ad conditionem personæ, ut sic detur debita proportio inter peccatum, & pœnam; atqui peccatum originale est peccatum naturæ, & non per voluntatem personæ: ergo solum debetur ei pœna, quæ pertinet ad conditionem naturæ, & non ad conditionem personæ. Iam sic; sed pœna sensus non tam pertinet ad conditionem naturæ, quam ad conditionem personæ: est enim pœna, seu passio personalis: ergo non debetur ei pœna sensus.

77 Respondebis, illam maiorem esse falsam: nam pœna damni est pœna personalis, vel quia debetur propter aversionem, seu conversionem personalem, & non tantum propter in-

fectionem naturæ: vel quia visio directius pertinet ad personam, quam ad naturam. Item mors, & penalitates huius vite non solum pertinent ad conditionem naturæ, sed etiam ad conditionem personæ; & tamen dantur propter peccatum originale, quod directius pertinet ad inficiendam naturam: falsa est ergo illa maior, nempe quòd pœna debet pertinere ad conditionem naturæ, & non ad conditionem personæ, si aliâs peccatum pertinet ad conditionem naturæ.

Hæc vltimo procedit ex sinistra intelligentia nostre rationis, quæ quibusdam verbis D. Thom. in ratione illius inclusit potest refellit. *Pertinet autem* (inquit) *ad naturam relictam sibi, ut diuina visione careat, ad quam consequendam deficit omnis facultas natura creata.* Ergo carentia visionis beatificæ pertinet ad conditionem naturæ. ¶ Adde primò. Nam licet carentia visionis beatificæ sit pœna personalis, qua parte supponit in adulto persè capacitatem proximam per dispositionem personalem ad ipsam visionem, necnon elevabilitatem personalem; non tamen potest negari, quòd in natura sibi relicta est carentia visionis iuxta eiusdem naturæ conditionem: ergo peccato, quod est in defectu naturæ per se, rectè correspondet carentia visionis beatæ, prout est pœna naturæ. ¶ Adde secundo. Nam ideo visio beatæ directius pertinet ad personam, quam ad naturam, quia est actio, & actiones sunt suppositorum; atqui carentia visionis induci potest absque vlla operatione propria, sicut carentia gratiæ: ergo sicut hæc carentia in parvulo pertinet ad conditionem naturæ persè, etiam carentia visionis.

Similiter refellitur instantia mortis alijs verbis D. Thom. in eadem ratione consentiens: *Pertinet etiam* (inquit) *ad naturam humanam sibi relictam morti, & penalitates vite præsentis, quæ ex principijs nature procedunt.* Ergo hi defectus directius pertinent ad naturam, quam ad personam. ¶ Adde: Nam si mors, & penalitates huius vite æque pertinerent ad conditionem personæ, ac ad conditionem naturæ, non perseverarent remisso peccato, tam originali, quam personali: cessat enim pœna personalis, cessante adæquate eius causa, scilicet peccato; atqui experientia constat oppositum: ergo tantum pertinent ad conditionem naturæ.



§. III.

Affertio secunda negans debitum ad pœnam sensus.

78 **D**icendum est secundò, adhuc attendente gravitate culpæ originalis sub ratione offensæ, non esse debitam pœnam sensus. Hæc assertio procedit contra Iulit. Godoy pro prima sententia relatum num. 73. Et videtur magis contentanea doctrinæ D. Thom. nuper traditæ: Nam in 2. dist. 33. quæst. 2. art. 1. inquit, *Utrum pœna sensibilis debeat peccato originali secundum se?* & in corp. art. respondet negative: Ergo contra D. Thom. agit Godoy, dum affirmat peccato originali secundum se considerato deberi pœnam sensus. Probatur consequentia: hæc propositiones sunt contradictoriæ: *peccato originali secundum se debetur pœna sensus; peccato originali secundum se non debetur pœna sensus*, itaut qui primam affirmat, teneatur negare secundam; sed primam affirmat Godoy, secundam D. Thomas: ergo Godoy agit contra D. Thom.

Et probatur ratione D. Thom. quam tradit in corp. eiusdem art. & nos supra num. 74. perpendimus: Nam pœna debet esse proportionata culpæ; sed pœna sensus non est proportionata culpæ originali: ergo peccato originali secundum se non debetur pœna sensus. Minor probatur: nam pœna sensus solum debetur propter sensibilem delectationem captam ex peccato, & solum cum ea habet proportionem; atqui peccatum originale nullam offert delectationem sensibilem: ergo pœna sensus non est proportionata culpæ originali.

Et confirmatur ex duobus principijs D. Thom. in hac disp. satis perceptis. Primum est: peccato ex solo capite conversionis ad bonum commutabile deberi pœnam sensus secundum est, quòd in peccato originali non habetur conversio ad bonum commutabile: ergo iuxta principia D. Thom. peccato originali secundum se considerato non est debita pœna sensus. Vel aliter: est principium inconcussum D. Thom. quòd peccato ex parte averisionis secundum se sumptæ, & præcisè alijs, quia est infinitum, debetur ei pœna damni, quæ est infinita: ergo qui concedit, in peccato originali solum dari puram averisionem, negare debet nunc debitum ad pœnam sensus.

79 Respondet Godoy primò, falsum esse, quòd peccatum originale in sola averisione consistat; cum ipse defendat, persè primò consistere in conversione habituali morali.

Sed hæc evasio iam manet satis impugnata ex dictis disp. præced. à num. 130. Sed dato gratis, quòd importet conversionem moralem à Godoy excogitatum, refellitur nostro iudicio

evidenter. Nam pueri in hac conversione, immò & ex conversione actuali primi parentis, in qua actu peccaverunt, nullam habuerunt delectationem personalem; sed contra omnem æquitatem iniustitia est, quòd puniatur pœna sensibilis, qui in suo peccato nullam habuit delectationem: ergo neque ex capite conversionis, neque ex capite averisionis debetur peccato originali pœna sensus.

Per quòd præclusa manet alia evasio præcedenti affinis, videlicet quòd licet in peccato originali formaliter & ratione sui non detur conversio, datur tamen in actu, cuius est terminus, & hoc sufficit, inquit Godoy, ut debita sit ei pœna sensus: Sicut peccato habituali debita est pœna sensus, eò quòd in actu, cuius est terminus, datur conversio, quamvis formaliter consistat in sola averisione.

Ex proximè dictis manet, ut dixi, hæc evasio impugnata. Nam propter peccato habituali debita est ex se pœna sensus, quamvis consistat in recto in sola averisione, quia est effectus causatus per actum propriæ voluntatis, per quem habuit delectationem personalem, & qui in peccato habituali moraliter perseverat: ob quam etiam rationem peccato omissionis, quòd in averisione consistit, etiam est debita pœna sensus, quia supponit delectationem, & voluntarietatem personalem, vel formalem, ut tenet plausibilis sententia; vel interpretativam, ut docet aliquorum opinio; sed peccatum originale solum supponit voluntarietatem naturæ absque vili delectatione personali: ergo non debetur ei pœna sensus.

80 Respondet tertio Godoy, quòd licet peccatum originale nullam delectationem personalem afferat in parvulo, nec consistat in conversione; assert tamen gravitatem infinitam in ratione offensæ Dei: & ex hoc capite, sicut manet in ratione satisfactibilis simpliciter infinitum, etiam manet in ratione punibilis. Et quia per pœnam damni, vtpotè finitam, non compensatur eius condignitas ad infinitam satisfactionem, manet in illo condignitas ad quantum pœnam sensus. ¶ Potestque hæc evasio fulciri primò ex D. Thom. afferente, quòd peccatum originale ex se est dignum annihilatione subiecti: si ergo habet proportionem cum illa, etiam cum qualibet afflictione illius, cum illa sit longè maior qualibet pœna positiva, & hæc tendat ad illam. ¶ Secundò ex nostra doctrina supra num. 27. vbi diximus, quòd iudex loco satisfactionis persè primò debite peccato ratione offensæ potest applicare pœnam sensus æquivalentem, si alia via offensus non potest satisfieri. Hæc evasio est potissima, vtpotè continens doctrinam magistralem, in qua fundatur opinio huius Authoris.

Sed hæc evasio evertitur primò: Nam D. Thom. iam vidit, quòd peccatum originale est

§. IV.

Affertio tertia negans omnem dolorem.

simpliciter infinitam in ratione offensæ: etiam vidit, quòd gravitas divinæ offensæ loco satisfactionis potest puniri pœna sensus; & nihilominus asserit, quòd peccato originali, sub quamcumque ratione sumatur, non debetur nisi pœna damni, eò quòd non supponit delectationem, & conversionem personalem: ergo peccato originali sub nulla consideratione debetur pœna sensus. ¶ *Secundò*. Nam valde diversa debet esse pœna debita averisioni personali ab ea, quæ debetur averisioni naturæ, & non personali; sed si peccato originali in ratione offensæ Dei deberetur pœna infinita sensus, æqualis pœna deberetur ei saltem in ratione offensæ, ac peccato personali sub eadem ratione accepto: ergo idem quòd prius. ¶ *Tertio* (præcedens impugnatio magis explicatur) Nam licet consistat autoritate PP. & ratione, quòd Deus punit peccata citra condignum; nullibi tamen constat quòd Deus remittat misericorditer adæquatam pœnam sensus, vel damni debitam peccato, & sic non deberet haberi ut iusta pœna taxata à divina iustitia, si pro peccato merenti infinitam pœnam sensus, & damni solum Deus determinaret pœnam finitam sensus, & nullam pœnam damni, vel pœnam finitam damni, & nullam pœnam sensus; atqui iuxta doctrinam Godoy pro peccato originali tantum taxata est pœna damni: ergo signum est, quòd adhuc in ratione offensæ non debetur ei pœna vili sensus.

Quartò (simul evertitur doctrina, qua fulciebatur.) Nam propter peccatum originale habet debitum ad annihilationem subiecti, quia vel non est pœna, eò quòd non supponit subiectum punibile: vel licet sit pœna, reducitur ad pœnam damni, vtpotè se habens per modum privationis, ac proinde dicens proportionem cum offensæ originali, quæ solum in privatione consistit: sed pœna sensus est positiva, & personalis exigens ex se existentiam subiecti: ergo ex eo, quòd peccatum originale habeat debitum ad annihilationem, non sequitur habere debitum ad pœnam sensus. *Urgetur*. Si annihilatio subiecti esset pœna sensus, & in ratione talis maior omnibus pœnis positivis, Deus liberans misericorditer pueros ab ea, deberet eos determinare ratione prædicti debiti ad aliquam pœnam vel sensus, vel damni, & pueros non impunitos, & prædictum debitum incompenstatum relinquere; sed pueros defectò nulla pœna sensus Deus punit, & pœna damni est eis condigna independentè à debito satisfactionis, & annihilationis: ergo signum est, quòd non eis debetur annihilatio per modum pœnæ, vel solum est pœna damni. Nec prædictæ evasioni favet doctrina à nobis tradita: Nam ea tantum habet locum in offensæ per proprium actum personalem causata.

* * *

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

81 **D**icendum est tertio, pueros cum solo originali decedentes nullo affici dolore, vel tristitia interiori ob privationem visionis beate. Hæc assertio procedit contra secundam sententiam num. 73. relata. Et probatur ex D. Thom. loco citato de Mal. art. 3. vbi inquit, *utrum parvuli ex carentia boni amissi habituri sint aliquam afflictionem seu dolorem?* Et respondet negative. Propter quòd Ferre tract. 8. quæst. 6. §. 9. sequitur hanc communem sententiam: vbi vel retractat doctrinam à se traditam tract. 7. de Peccatis num. 929. & relata à nobis supra num. 53. vel inconsequenter procedit.

Et probatur primò ratione D. Thom. ex prædicto loco deducta, & ad hæc formam redacta: Nam nullus dolet de malo, quòd non cognovit, sicut nec lætatur de bono, quòd ignorat; sed pueri decedentes cum solo originali ignorant se esse privatos visione beatifica: ergo nullo afficiuntur dolore ob carentiam illius. Minor, in qua tantum potest esse difficultas, probatur: Nam ignorant non solum ipsam visionem, sed etiam esse sibi debitam: ergo etiam ignorant se esse privatos prædicta visione. Antecedens probatur: quia ad hoc, ut cognoscerent ipsam visionem, vel fuisset sibi debitum, erat necesse, vel quòd in statu separationis haberent lumen supernaturale, vel quòd medio illo in hac vita illam agnoscerent; siquidem obiectum hoc, vtpotè supernaturale, perit ad sui agnitionem lumen supernaturale; sed in hac vita prædictum lumen non habuerunt, ut supponitur ex eius incapacitate, nec in alia recipient: incredibile enim videtur (missis alijs) quòd illis, qui propria voluntate non peccaverunt, tribuatur lumen aliis indebitum, & ad nullam eorum perfectionem deserviens, sed præcisè ad maius eorum tormentum: ergo totaliter ignorant ipsam visionem.

82 Respondetis, sufficientem notitiam posse ab eis haberi de visione beata medijs aliquibus signis, aut coniecturis, estò deserviantur omni lumine supernaturali, sicut contingit in dæmonibus, & hæreticis circa mysteria supernaturalia. Et quòd pueri prædictis signis non careant, maxime in die iudicii, ex eo constat, quòd ibi assident, audientque Christum esse hominum Redemptorem, ut omnes à suis peccatis mundarentur, & visionem beatam consequerentur, nec non illa verba, *discedite à me &c. & venite benedicti*, videbantque ab istis separari.

Sed contra est primò. Nam saltem vsque ad diem iudicii vniuersalis prædictis, & alijs signis

S

nis carebunt: ergo saltem usque ad diem iudicij nullo dolore afficiuntur. ¶ *Secundò.* Quia nullum ex prædictis signis sufficienter eos excitabit, ut cognoscant, carentiam visionis esse penam damni propter suum peccatum: ergo nec in die iudicij cognoscant medijs aliquibus signis, seu coniecturis visionem, prout eius carentia fit eis causa doloris. Antecedens probatur: tum quia, ut cognoscere carentiam visionis esse penam damni, opus erat, ut cognoscerent se habere peccatum; sed hoc adhuc ex prædictis signis non agnoscent: siquidem nullibi constat hoc audituros esse pro se: ergo nullo ex prædictis signis excitabit eos, ut cognoscat carentiam visionis esse penam damni propter suum peccatum. Tum etiam: nam non assilient in iudicio, ut iudicentur, sed ut videant gloriam iudicis, ut inquit D. Thomas in Addit. quæst. 89. art. 5. ad 3. ergo non est, unde veniant in cognitionem sui peccati: ergo nec in cognitionem penæ. Tum insuper: nam quamvis audiant, Christum esse Redemptorem hominum à peccatis, non tamen ex eo colligent se esse ex illorum numero, cum non satis eis innotescat suum peccatum. Tum denique: nam ex eo, quòd videant se esse separatos à bonis, non adhuc sufficiens fundamentum datur eis ad discernendum, an hoc denegetur eis ut beneficium debitum, ut promissum; sed hoc opus erat, ut privatio visionis induceret dolorem: ergo illa signa non sufficient ad hoc, ut cognoscant carentiam visionis esse penam damni. *Adde:* Nam dato quòd tot illa signa excitarent intellectum eorum ad notitiam suæ penæ damni, illa tamen notitia non esset certa, immò nec probabilis, sed ad summum generaret dubium, seu suspicionem; sed hoc ipso non sufficient ad inducendum dolorem: siquidem in viris prudentibus qualibet suspicio non sufficit ad movendam voluntatem sive ad gaudium, sive ad tristitiam: ergo. ¶ Quibus addi potest aliqua specialis providentia Dei (ad quam plures Theologi recurrunt) quæ miris, & inexplicabilibus modis potest res ita disponere, ut pueri ex tali notitia nullam percipiant tristitiam.

83. Probatur secundò ratione desumpta ex Div. Thom. 2. dist. 33. art. 2. Et formatur ita: nam nullus cordatus concipit dolorem ex eo, quòd cognoscat se carere aliquo bono, si semel cognoscit nullam proximam aptitudinem, habere, nec habuisse ad illud consequendum; sed pueri decedentes cum originali, etsi cognoscant se esse vita æterna privatos, cognoscunt tamen se non habere, nec habuisse proportionem proximam ad illam consequendam: ergo non percipiunt aliquem dolorem ob carentiam beatitudinis. Maior solum eget explicatio: ne; quæ fiet aliquibus exemplis: Rusticus enim, si sit recte rationis & prudens, non tristatur ex eo, quòd non sit Rex, aut Imperator, quia

nullam ad talem dignitatem cognoscit se proportionem habere. Scholaris etiam non tristatur ex eo, quòd non fiat Lector, aut Magister, si sit cordatus, & recognoscat se non habere illam proportionem & aptitudinem ad magistratum requisitam. Et sic alijs permultis. Minor verò probatur: nam proxima proportio & habitudo ad vitam æternam habetur per gratiam; sed pueri vident se omni gratia carere, & caruisse, nec sciunt modum, quo illa careant, nec est necesse, quòd Deus hoc illis revelet: ergo cognoscunt, se non habere, nec habuisse proportionem proximam ad vitam æternam, si forte illam agnoscent. ¶ *Nec potest dici* (inquit D. Thom. quo præoccupatur evasio) *quòd fuerunt proportionati ad vitam æternam consequendam, quamvis non per actionem suam, tamen per actionem aliorum circa eos, quia, poterunt ab alijs baptizari: sicut multi pueri eiusdem conditionis baptizati vitam æternam consequuti sunt. Hoc enim est supercedens gratiæ, ut aliquis sine actu proprio præmittatur: unde defectus talis gratiæ non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis, quam in sapientibus, hoc, quòd eis multi gratiæ non fiant, quæ in alijs similibus factæ sunt.*

84. Respondebis, parvulos habuisse in Adamo proportionem ad vitam æternam consequendam; & hoc sufficere, ut aliquem dolorem sentiant ex omissione prædictæ proportionis. Sicut filius, si privetur patrimonio ob delictum parentis, non minus dolet, quam si per propriam culpam privaretur.

Contra. Nam nullus cordatus, nisi à passionibus moveatur, dolet de amissione boni sibi gratis promissi, si per ipsum non fiat, quòd illud non consequatur; sed in pueris est recta ratio, & passionibus non moventur, nec per illos fiat, quòd vitam æternam consequantur, vel prædictam proportionem amiserint: ergo proportio, quam habuerunt in Adamo, non satis est, ut pariat in eis tristitiam. Videatur omnino D. Thom. loco proxime citato in secundò argumento. *Sed contra*, ex quo desumpsimus hanc impugnationem. Paritas ad ducta non est ad rem: siquidem filius habet proportionem, sicut & ius ad patrimonium, ideoque non est mirum, quòd doleat, si eo privetur propter propriam, vel alienam culpam. Pueri autem nullum ius habuerunt ab intrinseco, & in proprijs personis, & ob hanc causam non possunt rationabiliter tristari de amissa beatitudine.



Affertio quarta negans pueris beatitudinem naturalem.

85. **D**icendum est quartò, quòd pueri cum solo originali migrantes nec sunt, nec erunt beati beatitudine naturali. Hæc sententia est conformior scripturæ sacre, Concilij, & SS. PP. quorum testimonia mittimus, quia exponi possunt de beatitudine supernaturali, ob quam etiam rationem sententia opposita Catharini nullam censuram meretur.

Probatur tamen nostra assertio primo ratione: Nam pueri cum solo originali decedentes, in illo tenebroso loco limbi adhuc post diem iudicij manebunt; sed cum loci illius habitatione non fiat felicitas naturalis: ergo carebunt beatitudine naturali. Minor admittitur ab adversarijs, & est communis inter Theologos, si vera est maior: & merito, quia beatitudo maxime naturalis loci opportunitatem & commoditatem requirit. Maior verò, in qua est difficultas, probatur: tum quia, ut inquit August. serm. 14. de verbis Apost. *Nullus relictus est medijs locis, ubi ponere queas infantes.* Et ut inquit Anselm. de conceptu Virg. cap. 22. *Post diem iudicij nullus erit Angelus, aut homo nisi aut in regno Dei, aut in inferno.* Pro quo etiam intelligitur locus parvulorum, sicut finis. Abrahæ, iuxta illud Symboli, *Descendit ad inferos.* Tum etiam: nam pueri prædicti, mox est vita decedunt, vehuntur ad limbum: ergo post diem iudicij ibi manebunt. Patet consequentia: quia absque vilo fundamento adstruitur loci mutatio post diem iudicij. Quin potius Ecclesiast. 11. dicitur: *Si ceciderit lignum, ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit: quasi dicatur perpetuo erit.*

Tum denique: nam iuxta communitè doctrinam Theologorum post universale iudicium omnia elementa suam situm naturalem recuperant sicut in principio creationis rerum, ita aqua fit supra terram, & hæc aquis omnino cooperta maneat: sicut enim conveniens fuit, quòd aqua in vnum locum congregaretur, ut daretur locus generationi animalium, & plantarum, etiam oportet, ut redeat ad suum locum naturalem cessante omni generatione cum motu celorum: ergo parvuli, qui usque ad diem iudicij sunt in limbo detenti, etiam debent esse in illo inclusi perpetuo post diem iudicij. Nisi dicatur, quòd erunt in aquis immergi, & natantur adintra piscium, quòd est ridiculum. Vel dicatur cum Palud. quòd erunt prope ultimam superficiem terræ, & fruuntur luce corporæ, ex quo aliquam delectationem

habebunt: Quod est purum figmentum: quia terra est ex se opaca, & sibilum cum aqua nequit non impedire transusionem lucis; vel si totaliter non impedit, erit tenuissima, ideoque parum poterit eos delectare.

Et confirmatur hæc ratio: Nam parvuli ante diem iudicij non sunt beati beatitudine naturali, quia hæc non coheret cum loci illius incommoditate, nec cum captivitate diaboli, sub cuius potestate detinentur: ergo nec post finem iudicij. Probatur consequentia: alias sequeretur duo inconvenientia: primum, quòd in vniuersali iudicio transirent de non beatis in beatos beatitudine naturali. Secundum, quòd essent melioris conditionis, quam si in puris naturalibus decessissent: siquidem, ut Catharinus scribit, ita erunt beati, ut victuri sint perpetuo quasi in paradiso terrestri, pleni sapientia, & virtutibus, Angelorumque confortio, & revelationibus sæpe gaudentes: quæ bona non debentur parvulis in puris naturalibus decedentibus.

86. Secundò probatur conclusio ratione fatijs efficaci: Nam beatitudo naturalis est incompatibilis cum quolibet peccato afferente privationem gratiæ; sed huiusmodi est peccatum originale: ergo parvuli decedentes cum peccato originali incapaces sunt beatitudinis naturalis. Maior probatur: tum quia beatitudo adhuc naturalis non potest esse cum maxima miseria, qualis est peccatum privans gratia habituali. Tum etiam: nam beatitudo naturalis vel consistit iuxta sententiam Philosophi, & Theologorum in amore efficaci naturali Dei super omnia, vel in cognitione Dei auctoris naturalis inierente tamen prædictum amorem; sed prædictus amor non est compatibilis cum peccato afferente privationem gratiæ: ergo beatitudo naturalis est incompatibilis cum peccato afferente privationem gratiæ. Minor probatur: nam peccatum afferens privationem gratiæ, assert etiam indispensabiliter aversionem à Deo non solum ut à fine supernaturali, sed etiam ut à fine naturali, quia voluntas non potest esse simul conversa, & aversa à Deo tanquam ab ultimo fine, sicut non potest esse conversa simul ad duos ultimos fines adæquatos, estò vnus sit naturalis, & vnus supernaturalis, ut diximus tract. 8. disp. 1. sed cum aversione à Deo fine naturali non fiat conversio ad Deum finem naturalem consistentem in prædicto amore efficaci naturali Dei super omnia: ergo prædictus amor non est compatibilis cum peccato afferente privationem gratiæ.

Nonnulla obiectiones pullulare videntur contra efficaciam huius rationis, quarum solutio præstabitur, dum sententiam oppositam proponamus.



§. VI.

Argumenta contra primam assertionem.

87 **A**rguitur primò contra primam assertionem: Nam parvuli audituri sunt illam sententiam. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, ex quibus verbis sequitur, quòd torquentur igne ij, qui sub tali sententia comprehenduntur; at parvuli comprehendunt sub tali sententia cum non sint adextris Iudicis, sed à sinistris, & prædicta sententia proferetur contra eos, qui sunt à sinistris: ergo patientur pœnam ignis, quæ est pœna sensus.

Ad hoc argument. multa multi dicunt. Sed illis omisiss, brevier respondetur, quòd illa sententia non dirigitur ad parvulos decedentes cum solo originali, quia non eos comprehendit, solo ibi proferentur, nempè *esturivi, & non dedistis mihi manducare &c.* Et propterea Godoy, & Ferre cum alijs dicunt, quòd parvuli isti in finali iudicio neque erunt à dextris, neque à sinistris Christi, quia sicut non pertinent ad Ecclesiam Christi, sic nec pertinet ad brachia. ¶ Et si dicas, quòd comparandi sunt in iudicio, & iudicandi: ergo vel sententia directa est ad bonos, vel sententia directa ad malos. Potest responderi primò cum D. Thom. suprà relato, quòd comparebunt, non vt iudicentur, sed vt videant gloriam Iudicis. ¶ Vel responderi potest secundò, quòd etiam comparebunt in iudicio vt iudicentur, vt innuere videtur Ang. Doct. 2. ad Corinth. 5. exponens illa verba Apost. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Sed nulla ex duabus sententijs ad eos dirigitur, sed tantum iudicabuntur, quasi vicima consummatione, vbi firmabitur sententia de eo, quòd Deum in perpetuum non videant. ¶ Et si tandem contendas, quòd sententia prolata contra malos ad illos dirigitur. Potest dici, quòd nomine *ignis æterni* non intelligitur determinatè pœna sensus, sed etiam pœna æterna damni. Quo pacto exponit D. Thom. quest. 5. de Malo art. 2. ad 1. similia dicta SS. PP.

88 Arguitur secundò: Nam parvuli in hac vita puniuntur propter peccatum originale pœna sensus, vt morte, & alijs huius vitæ miserijs: ergo etiam in alia. Antecedens ex dictis num. 70. constat. Et consequentia probatur: aliàs esset melioris conditionis post mortem, quam in hac vita.

Et confirmatur primò: Nam corpora parvulorum decedentium cum originali non erunt impassibilia, aliàs gauderent dote impassibilitatis, sicut corpora beatorum: ergo patientur aliquam pœnam corporalem, proindeque sensus. ¶ Confirmatur secundò: quia pœna pec-

catorum consummabitur post vniuersale iudicium; sed hoc nequit verificari de pœna parvulorum, nisi addatur eis pœna sensus: ergo saltem post diem iudicij puniuntur aliqua pœna sensus.

Nec prodest dicere, quòd pœna eorum consummabitur per reunionem. Non (inquam) prodest, tum quia reuio est illis valde connaturalis: ergo non habet rationem pœnæ. Tum etiam: quia pœna damni non crescit per illam reunionem extensivè, quia corpus non est capax prædictæ pœnæ, sicut nec est capax visionis: nec intensivè, quia huiusmodi pœna non crescit intensivè, nisi connotet graviora peccata iuxta dicta dub. 5. §. 3. & in hoc nulla datur variatio, maxime in istis parvulis: ergo, vt intelligatur consummatio pœnæ, necesse est, quòd illis addatur aliqua pœna sensus. *Urgetur*: Nam si corpori vnito animæ gloriosæ, maxime in parvulo decedenti immediatè post baptismum, non adderetur aliqua gloria intrinseca, improprie diceretur, quòd gloria beatorum consummaretur per reunionem: ergo oportet, quòd his parvulis addatur aliqua pœna corporalis, seu sensus, vt dicatur eius pœna consummata post diem iudicij.

89 Ad argument. respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Pro quo nota cum D. Thom. quest. 5. de Malo art. 4. quòd duplex est pœna correspondens peccato originali: alia persè, & est illa, quam Deus persè determinat, & appellatur *pœna taxata*: altera per accidens, & est ea, quæ ad priorem pœnam naturaliter sequitur, & appellatur à D. Thom. *concomitans*. Sit exemplum in humanis: taxat Iudex alicui, quòd in pœnam sui peccati eruantur eius oculi: cœcitas est pœna persè & taxata; sed quia ad cœcitatem naturaliter sequitur paupertas, & alia miseria, pertinent ad pœnam per accidens, seu concomitantem. Hæc autem pœna solum habet locum, quando ex priori naturaliter sequatur: si verò oppositum contingat, non est necesse, quòd applicetur. Ad rem ergo deveniendum, Deus tantum taxavit persè in pœnam peccati originalis carentiam visionis, & iustitiæ originalis: ad huius carentiam naturaliter sequitur in hac vita mors, & alia erumna; secus in alia, quia cessabit omnis alteratio ad cessationem motus cœlorum: & propterea mors, & alia calamitates sunt pœna peccati originalis in hac vita, quin oporteat similem pœnam sensus pro alia vita assignare. Nec ex hoc sequitur esse parvulos melioris conditionis post mortem: quia post mortem correspondet proprie pœna damni, vbi nulla datur aptitudo ad Deum videndum; & hæc pœna excedit omnes miseras huius vitæ cum aptitudine ad Deum videndum.

Ad primam confirmationem respondetur cum D. Thom. 2. dist. 33. quest. 2. art. 1. ad 5.

negando antecedens propter proxime dicta. Est tamen magnum discrimen inter impossibilitatem beatorum, & impassibilitatem parvulorum decedentium cum originali. Nam corpora beatorum erunt impassibilia ab intrinseco ratione formæ intrinsece, quæ resistit omni contrario, & vocatur *dos impassibilitatis*. Corpora verò parvulorum non erunt impassibilia ratione alicuius formæ, sed præcisè ex defectu agentis, & alterantur extrinsece, & propterea non gaudebunt huiusmodi dote.

90 Ad secundam respondetur, permittendo maiorem quoad parvulos decedentes cum solo originali. Sed negando minorem: nam estò eis non addatur aliqua pœna sensus five ex parte animæ, five ex parte corporis, satis intelligitur pœnam illorum compleri per hoc, quòd antea solum puniebatur pœna damni pars hominis, & postea totum compositum: ad quod iuvat reunionem animæ, licet sit ei valde connaturalis, vt ex se liquet. Per quod constat ad primam probationem impagnationis contra solutionem inter arguendum datam. *Ad secundam*: Respondetur, quòd licet corpus non sit capax videndi Deum, totum tamen compositum resultat ex vnione corporis, & animæ ratione istius est capax videndi Deum, & eadem ratione est capax carentiæ visionis: & hoc sufficit, vt quodammodo pœna parvulorum consummetur post diem iudicij per quandam extensionem.

Ad vrgentiam respondetur, quòd data illa hypothetisi idem dicendum foret de beatis, maxime de parvulis baptizatis, ac de parvulis sine baptismo decedentibus quoad extensionem explicatam in gloria, vel pœna. At superest in beatorum corporibus specialis ratio, vt augmentum gloriæ, & consummatio aliunde accipiantur, nempè ex gloria intrinseca corporis, quæ eis debetur, vel per modum hæreditatis, aut proprietatis visionis ex meritis Christi: vel per modum coronæ ex proprijs meritis.

91 Arguitur tertio: Peccatum veniale punitur pœna sensus: ergo etiam originale. Probatur consequentia: graviori peccato gravior pœna debet correspondere; sed peccatum originale est gravius veniali, cum privet gratia, & charitate, secus verò veniale: ergo si veniale punitur pœna sensus, etiam originale.

Ad hoc argument. potest responderi primò cum D. Thom. in 2. dist. 33. quest. 2. art. 1. ad 2. quòd peccatum originale est levisimum inter omnia peccata, quia habet minus de voluntario. Unde ex eo, quòd veniale puniatur pœna sensus, non inferitur, quòd originale debeat illa puniri. Nec obest, quòd originale privet gratia, & charitate; Nam gravitas peccati sumitur ex voluntario, & non solum ex perfectione qua privatur. ¶ Respondetur secundò, & probabilius, quòd licet peccatum originale sit reipsa gravius veniali, & hoc puniatur pœna sensus, non propterea il-

lud debet simili pœna puniri: quia cum maiori gravitate peccati originalis optime stat, quòd non sit voluntarium voluntate propria, neque habeat aliquam delectationem, cui correspondet pœna sensus: ideoque non debet puniri pœna sensus, quamvis veniale, quia committitur voluntate propria affertente suam propriam delectationem, illa puniatur. *Adde*: quòd pœna damni correspondens peccato originali est gravior pœna sensus correspondente peccato veniali: & hinc factis colligitur maior gravitas peccati originalis, quin opus sit, quòd pœna sensus puniatur, sicut puniuntur veniale.

92 Arguitur vltimò: Nam alligatio ab igne, vel ab alio corpore est pœna sensus, vt diximus dub. præc. sed animæ parvulorum sunt alligatæ, & detentæ in limbo, idemque dicendum est de corporibus post extremum iudicium: ergo puniuntur pœna sensus. ¶ Et confirmatur. Nam corpora post resurrectionem detur dentur in illo loco subteraneo, & obscuro in pœnam sui peccati; sed hoc nequit non esse pœna sensus, quia non poterit non causare aliquam afflictionem sensibilem: ergo.

Ad argument. imprimis respondetur cum D. Thom. quest. 26. de Verit. art. 1. ad 11. vbi ait: *Dicendum, quòd in pueris propter defectum gratiæ est sola carentia divini visionis sine aliquo contrario impediante activè.* Ex quibus verbis satis colligitur, quòd nec animæ nunc, nec eorum corpora post diem iudicij manebunt alligatæ ab aliquo corpore, sicut alligantur animæ, & corpora damnatorum, ex quo provenit eis pœna sensus, sed tantum consequentur ibi per quandam præsentiam nullam subiectionem, & depressiorem causantem, quia neque impediuntur ab aliqua operatione eis debita, neque compelluntur operari, aut intelligere, quod nolent: neque appetunt alibi esse, cum nulla disconvenientia eis proveniat ex parte loci ob prædicta. Et ex his movetur ad denegandum eis omnem pœnam sensus ex loco ortam.

Ad confirmationem respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Nam attempta dispositione vniuersi, post diem iudicij non debetur eis nobilior locus propter dicta num. 85. Quo supposito, & quòd locus ille sit ex se destitutus omni luce, neque appetunt alibi esse, neque aliquid videre: quia naturaliter non est ibi obiectum visus, sicut nec obiecta aliorum sensuum externorum: proindeque non erit eis pœnale carere operationibus sensuum externorum, quia conformabitur eorum voluntas dispositioni vniuersi, & vt alij solent dicere, erunt contenti forte sua.

*** *** *** ***
*** *** *** ***

§. VII.

Argumenta Godoy contra secundam assertionem.

93 **A**rguitur primò ex D. Thom. 4. dist. 46. quest. 2. art. 2. quasiunc. 1. ubi ait: Pro peccato originali secundum rigorem iustitiæ non solum debetur natura pro pœna, carentia visionis divinæ, sed etiam ipsius annihilatio: & ideo ex hoc ipso, quod conservantur pueris non baptizatis naturalia bona, citra condignum puniuntur; sed peccatum, quod ex se meretur subiecti annihilationem, habet ex se condignitatem ad omnem pœnam lædentem, seu sensus; siquidem hæc, maxime corporalis, tendit ex se, & disponit ad non esse subiecti: ergo peccatum originale habet ex se condignitatem ad pœnam sensus.

Et confirmatur ex eodem Angelico Doct. 2. dist. 42. quest. 1. art. 5. ad 2. ubi inquit: Ex hoc, quod peccator contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita: non autem potest esse infinita acerbitate, quia in creatura finita nequit esse qualitas infinita, sed recompen-satur per infinitam durationem. In quo testimonio aperte videtur loqui Ang. Prac. de pœna sensus: hoc enim satis inuunt illa verba acerbitate, & qualitas infinita; sed peccatum originale est contra Deum infinitum, inferque offensam simpliciter infinitam, cum auferat à Deo rationem vltimi finis, sicut quodlibet aliud peccatum mortale: ergo ex se est dignum pœna sensus.

Ad argument. respondetur, quod annihilatio, proprie loquendo, non habet rationem pœnæ: quia de ratione pœnæ est, quod supponat subiectum punibile. Unde falsum est, quod pœna sensus tendat ad destructionem subiecti, aliàs non posset esse æterna, nec spiritus esset incorruptibilis. Et liquet aperte ex eo, quia id, quod eligibile est ad fugiendam pœnam sensus, nequit habere rationem pœnæ; damnati autem appetunt non esse ad fugiendam pœnam, non solum dampni, sed etiam sensus, iuxta illud Math. 26. Bonum erat illi, si natus non fuisset. Et licet quandoque mitior pœna eligatur ad fugiendam gravioiorem, debet tamen supponi subiectum veriusque. Sed dato, quod habeat proprie rationem pœnæ, potius pertinet ad pœnam dampni, quam ad pœnam sensus: quia consistit totaliter in carentia; & pœna sensus debet esse positiva. Quo circa, concesso quod peccato originali debeatur subiecti annihilatio, non recte inferitur, quod debeatur ei aliqua pœna sensus.

Ad confirmationem respondetur, quod D. Thom. intelligendus est de offensa infinita

personalis, secus verò de offensa infinita originali, propter rationes traditas pro nostra assertionem. Huic enim ex meritis proprijs solum potest deberi pœna infinita dampni, quæ satis compensatur ex divina misericordia per infinitam durationem.

94 Arguitur secundò: Peccatum originale est in ratione punibilis simpliciter infinitum: ergo meretur omnem pœnam possibilem non solum dampni, sed etiam sensus. Consequentia videtur legitima. Et antecedens probatur: tum quia in ratione offensa est simpliciter infinitum, sub qua ratione saltem indirectè habet condignitatem ad pœnam simpliciter infinitam: ergo in ratione punibilis est simpliciter infinitum: Tum etiam: nam peccatum originale in ratione satisfaciibilis est simpliciter infinitum: ergo etiam in ratione punibilis saltem indirectè. Patet consequentia: quia peccatum, quod est infinitum in ratione offensa, habet directè condignitatem ad infinitam satisfactionem, & propterea nullus alius præter Christum potest pro illo ad æqualitatem satisfaccere, & indirectè loco satisfactionis ad infinitam pœnam.

Roboratur hoc: Nam satisfactio personalis non consistit in privatione, sed in quadam submissione positiva pœnali, & personalis: ergo in idem fere coincidit, quod peccatum originale ratione offensa habeat directè condignitatem ad satisfactionem infinitam, ac quod habeat condignitatem ad pœnam positivam infinitam.

Ad argument. respondetur, quod peccatum originale solum est infinitum in ratione punibilis respectivè ad pœnam privativam, secus verò respectivè ad pœnam positivam. Quia cum prædictum peccatum consistat præcisè in aversione, nullamque supponat delectationem personalem, satis est ad sui infinitatem, quod habeat ex se condignitatem ad omnem pœnam possibilem privativam. Et in hoc sita est debita correspondencia inter infinitatem offensa huiusmodi peccati, & infinitatem pœnæ ei indirectè debitam. Per quod constat ad primam probationem. Ad secundam: Respondetur concedendo totum. Sed ex ea tantum inferri valet, quod peccatum originale sit infinitum in ratione punibilis privative.

Ad robur argumenti dicendum est, quod valde diversæ sunt satisfactio, & pœna: satisfactio enim, si de ea proprie loquamur, prout præcendit à rigorosa ratione pœnæ, est consistit in positivo, non assert secum indispensabiliter dolorem aut afflictionem, vt liquet in amore Dei, quo Christus illum diligebat per charitatem, qui erat omnino ei voluntarius afferens secum summam delectationem, & aliunde sufficiens, & superabundans erat ad satisfactionem pro omnibus peccatis. Et si ad illam amplexus est passionem, & mortem, hoc fuit ad maiorem superabundantiam, non ex exigentia

Dub. VII. An pueri cum solo originali decedentes puniantur pœna sensus? 143
tia ipsius satisfactionis. Unde non rectè inferitur, quod peccatum originale habeat condignitatem ad pœnam sensus infinitam, ex eo quod habeat condignitatem ad satisfactionem positivam, & pœnalem adhuc personalem.

95 Arguitur tertio: Ideo peccatum originale non habet condignitatem ad vilam pœnam sensus, quia solum consistit in aversione: sed ex hoc non sequitur: ergo habet ex se condignitatem ad pœnam sensus. Minor probatur: nam peccatum habituale tantum consistit in aversione, videlicet in privatione gratiæ, & tamen habet ex se condignitatem ad pœnam sensus: ergo.

Ad hoc argument. facillè respondetur, distinguendo maiorem: quia solum consistit in aversione non connotante conversionem personalem, concedo maiorem; præcisè quia consistit in aversione, nego maiorem. In quo sensu negari debet minor. Ad cuius probationem dicendum est, quod peccatum habituale personale ita consistit in aversione in recto, seu in privatione gratiæ, quod simul est effectus conversionis personalis, in qua hæc moraliter perseverat: & hoc sufficit, vt peccatum habituale sit dignum non solum pœna dampni, sed etiam pœna sensus. Ad peccatum originale ita consistit in aversione in recto, quod non est effectus conversionis personalis: ideoque nulla debetur ei pœna sensus.

96 Arguitur quartò, & vltimo à Godoy ab inconvenienti: Nam si peccatum originale ex se non esset dignum pœna sensus, Deus non puniret illud citra condignum; sed hoc est contra axioma commune Theologorum, asserentium Deum omnia peccata punire citra condignum, & præmiare merita supra condignum: ergo ex se meretur aliquam pœnam sensus. Sequela probatur: nam quoad pœnam dampni punitur ad æqualitatem per carentiam divinæ visionis: ergo si ex se non meretur aliquam pœnam sensus, non puniretur citra condignum.

Nec refert, si dicas, quod peccatum originale ex se est dignum annihilatioe, qua defactò non punitur. Non, inquam, refert: Quia non est ratio, cur ex se sit dignum annihilatioe, & non sit dignum qualibet pœna sensus. Nec refert, si dicas secundò, quod peccatum originale sit dignum, vt propter illud homines Redemptore careant; qua pœna defactò non punitur. Nec hoc refert: tum quia vitra remissionem gratiosam huius pœnæ debita cuilibet peccato gravi adhuc Theologi sentiunt, quoad alias pœnas Deum punire illa citra condignum. Tum etiam: quia D. Thom. vt salvaret, Deum punire citra condignum peccatum originale, non recurrit ad hanc pœnam, sed tantum ad annihilatioem, vt vidimus num. 93.

Ad hoc argument. respondetur, sustinento vtramque solutionem inter arguendum da-

tam. Et ad probationem contra priorem dicendum est, quod pœna sensus nullam proportionem habet cum peccato originali, propter rationes nostras. At annihilatio est maxime proportionata cum eo, quia est maxima separatò à Deo: & hac ratione potest esse condignum annihilatioe, vt potè consistens in sola separatòe creature à Deo, & non aliqua pœna sensus, quæ indispensabiliter debet supponere subiectum.

Ad primam probationem contra posteriorem solutionem insinuatam, dicendum est, quod senel, quod peccatum meretur carentiam Redemptoris, & hæc pœna non applicetur, sufficienter salutar, quod puniatur citra condignum. Quod verò Theologi axioma illud vitra remissionem huius pœnæ extendant ad alias pœnas, non obstat (quod velit, nolit debet fieri Godoy) siquidem Theologi ita asserunt, Deum punire citra condignum quoad pœnam v. g. sensus, quod non remittat omnem pœnam sensus, sicut nec remittit omnem pœnam dampni. Si ergo Deus pro peccato originali nullam pœnam sensus confert, signum est, quod, stando communi sensui Theologorum, non debetur ei vlla pœna sensus. Ad secundam: Respondetur, satis esse, quod D. Thom. recurrit ad remissionem alicuius pœnæ ad salvandum prædictum axioma, quin opus sit mentionem fieri de alijs pœnis, sicut defactò non recurrit ad remissionem pœnæ sensus, persè debitam iuxta sententiam oppositam; & sicut defactò non recurrit ad suspensionem doloris ex carentia visionis beatæ, quæ fortè debetur ei vt complementum pœnæ dampni, & ex divina providentia, & misericordia non resultat.

§. VIII.

Argumenta contra tertiam assertionem.

Arguitur primò contra tertiam assertionem ab autoritate vtriusque solis Ecclesiæ, videlicet D. August. & Div. Thomæ. August. enim in Enchir. cap. 93. inquit: Mitissima pœna est pœna puerorum, qui cum solo originali decesserunt. Super quæ verba D. Thom. 4. dist. 45. quest. 1. art. 2. quasiunc. 3. ad 2. ait: Dicendum, quod August. loquitur de pœnis, quæ debentur alicui ratione persone suæ: inter quos mitissimam pœnam habent, qui solo originali gravantur. Ex quibus verbis arguitur sic: nam mitissima pœna, quam vterque Doctor concedit pueris propter originale, non est pœna primaria dampni, quia hæc non est mitissima, sed gravissima & excedens incomparabiliter omnes pœnas sensus debitas pro peccato solum veniali: neque est pœna proprie sensus, vt tenet communis Theologorum sententia: ergo